

Skiagraphia suturarum cranii humani earumque veri usus ... / [Conrad Horlacher].

Contributors

Horlacher, Conrad, active 1684-1707.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Martini Rommeij, 1684.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/me7dqcp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ
SUTURARUM
CRANII HUMANI
Earumque Veri Ufus,

Quam
Sub umbone.

VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI

DN. GEORG-BALTHASAR. MEZGERI,
Med. D. Experientissimi, Anatom. Bo-
tanices & Prax. P. P. In Alma hac Eberhar-
dina celebratissimi,

*Præceptoris ac Fautoris sui maxime
devenerandi,*

Publico ΦΙΑΙΑΤΡΩΝ examini submittit

In Auditorio Medicorum

Ad d. 3. Octobr.

CONRADUS HORLACHER, Suobaco-Francus.
TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEI.
Anno MDC LXXXIV.



V I R O

PRÆSTRENUO, atq; GENERIS
PROSAPIA QVAM MAXIME
CONSPICVO

DOMINO

HIERONYMO SESS
WESSEN ab & in Rasch /

Patritio Augustano Spectatissimo,

Patrono meo Colendissimo

Medicas hasce Theses

in Observantia *σημειον*

humiliter consecrat

C. H.



PROLOGUS.



Mirandam Machinae Humanæ
Structuram qui contemplatur, rogatus
olim *Seneca*, quid Deo præstet, respondit:
ne tanta ejus opera sine teste sint. Idem &
Nos in præsentī ad *Suturarum Cranii hu-*
mani considerationem stimulavit, stimu-

lumque majorem materiæ utilitas superaddidit. Verè enim
Rolfincius: *Qui parùm ad Medicinam faciendam utilitatis su-*
turarum cognitionem asserre existimat, ille oppidò fallitur. Ma-
gni suturarum cognitio momenti est, vel ideò solùm, ut ta-
ceamus alia, ne futuram pro ruptura, aut rupturam pro su-
tura, cum vitæ ægri periculo & famæ Medici vilipendio ha-
beamus. In illo ipse *Medicorum Princeps* in *Autonomo* ex
capitis vulnere mortuo deceptus fuit *5. epid. l. 27.* in hoc pau-
cis abhinc annis errasse Medicum & Chirurgos, novimus,
qui futuram pro fissura imperitè acceperunt. Ne igitur in
eundem impingamus lapidem, præsentem *Suturarum Cra-*
nii humani συζαγαφίαν instituimus.

DEUS OPUS FORTUNET!

THESIS I.

Priùs, an sit res, antequam quid & cur sit, quæren-
dum. Suturas igitur omnium hominum craniis ordi-
nariè & naturaliter inesse, vel sola *αὐτοψία*, fidelissima
in hoc præcipuè negotio magistra, abundè docet, nec aliis
opus est, rerum ubi adsunt testimonia: *veni & vide.* In adul-

tioribus quidem & senibus res non adeò plana ubique est, ubi subinde vix obscurum futuræ situm, nedum conspicuam sui imaginem offerunt; in junioribus verò & nuper natis cæcutire necesse habent omnes, qui has non observant. Sunt tamen, qui illius larvæ seducti aliquando deesse posse, imò defuisse s. n. statuunt: exemplorum numerum sat magnum, qui desiderat, invenit apud *J. Schenckium* l. 1. *Obs. med.* Canina dici capita talia *Alexander Benedictus* ex falsa hypothesis scribit *hum. Corp. Anat.* l. 4. c. 7. Sed, vel alienis illi oculis viderunt, facilè decepti, quia facilè credidère; vel sub propriis ætatem & circumstantias alias dignè satis non explorarunt.

II.

Novum non est, crescente ætate & in senibus unum fieri & pro uno censerì, quæ in junioribus separata & distincta fuere. Vertebrae senum per naturam distinctissimas ad ultimum uniri & connasci *Vesalius* l. 1. *de fabr. hum. corp.* c. 6. author est. Maxilla inferior in adultis os unum fit, quod geminum in infantibus fuit; sternum in his octo ossibus constat, in senibus unò. Nec mirum videri debet, si ossium cranii commissuræ sensim sensimque per ætatem obliquantur, & ob senectam, *Eustachij* verbò, pereunt. Junioribus etiam morbi vi aut vitio aliò, ut totum corpus, ita calvariæ quoque partes p. n. exiccari, futurarumque deleri vestigia posse, extrà dubitationis aleam ponimus. Externi aëris æstuosi nimis injuriâ sub calidiori sole degentibus nonnullis (de omnibus enim *Columbus*, *Riolanus*, *Schneiderus* rectè negant.) idem accidere posse, experientia & ratio confirmant. Prædictus *Schneiderus*, si audiendus hîc est, hæreditariam dispositionem etiam multum valere suspicatur: si enim, inquit, secundum *Hipp.* de calvis calvi, de macrocephalis macrocephali nascuntur, quid obstat, quò minus parentes, quorum crania futuris & iis paucioribus arctius sunt

sunt conferta, eos gignant, quorum crania eandem naturam & duritiem quam citissime acquirunt, præsertim cum tantus æstus solis cranium non nisi naturali veste rectum mirifice arefacere queat & indurare. Quicquid autem horum fiat, tanti non est, ut mutatas nobis Naturæ leges & à primordiis suis ἀρχαῖς crania talia persuadeat, quin potius caput tenerum & puerile omne futuris suis regulariter gaudere cum *Fallopio Comm. in Galeni L. de ossibus & l. anat. observ. ad Petrum Mannam* denuò concludamus. Nec usus suturarum à Natura, qui nobis videtur, intentus & infra narrandus, structuram aliam admittit.

III.

Quod *Suturarum* autem nomine hîc nobis venit, sutelas *Pollucis* interpres vocat; utrumque à suere: harum enim ope diversa inter se cranii ossa, quasi confuta vulgariter creduntur; nec aliud communis *Græcorum* vox ῥαφή à ῥάπτειν ducta vult. Aliis συμβολαὶ commissuræ, γραμμαὶ lineæ, popularibus nostris eine Naad audiunt. Plurium Linguarum nomina qui scire avert, consulat *Vesalius* d. l. ult. *Cranii* verò *humani* dum suturas hîc inquirimus, exesse jubemus brutorum suturas, quarum ab illis discrepantiam *Barthol. Eustachius* ostendit in *Exam. Oss.* ut & alias variorum opificum varias, utut ab harum figuris nominis hujus occasio, ut mox patebit, fluxerit; nec labiorum vulnerum aut molliorum partium aliarum connexionem, quæ vel acufit, vel, ubi hæc locum non habet, ob partium aut vulnerum conditionem, emplastrò firmiter conglutinante (suturam per glutinum, siccam, incrementam nominant) intelligimus, quæ ad chirurgos spectat; sed quæ Anatomicos fatigant, cranii humani suturas, nullâ Artificum curâ vel manu factas, sed inimitabili Omnipotentis Promethei nostri artificio fictas & effectas intendimus.

IV.

Has vocant *Synthesin* seu compositionem Ossium Cranij variorum sub varia figura conspicuam, in singulares usus à Natura extractam.

V.

Synthesin hanc ossium cranium constituentium multitudo imperavit, quæ nisi conjuncta certò modò in usum naturæ debitum conspirare non valuerunt. Varius autem compositionis harum modus, varia figura occurrat, quam *Pergamenus* triplici similitudine illustrat 9. de usu part. 1. vel enim ingredi, inquit, os unum alterum non secus, ac si duas ferras inter se invicem componas, ut dentes ipsarum se mutuò excipiant; aut ut fabri lignarii pectinatim incidunt trabes asseresve conglutinandos, ut alter excipiat & excipiat vicissim; aut denique ut pannorum lacerorum extrema consui solent: hinc eidem de Ossibus in præm. compositio consutis rebus similis, aliis serrata syntaxis, quibusdam in unguem commissura definitur. Hæ tamen differentię (de quibus plenius C. Hoffmannus Comm. in Gal. de usu part. & Lindenius in Physiol. med. agunt) in adultis & in extrema cranii tabula magis notari possunt, quàm in recens natis, & infantibus, ubi vicem supplet singularis & propria combinationis species, συνρµενσις, commembratio *Rölsinckiol.* 2. anat. disq. c. 22. dicta, vel simplicis lineæ ductu ossa juxta se invicem protenduntur, harmoniæque consuetiùs, communi Anatomicorum consensu, quàm futuræ appellantur. Quod si tamen oculorum judiciò standum, & dicendum, cum *Henrico Eyssonio* de Ossibus Infant. c. 2. quod res est, nec in junioribus serratas omnes productiones negare audemus, præsertim suprà fontanellæ membranam in ossis frontis marginibus, quæ cum ætate in dentationes serratas degenerant, hiatumque explent & consolidant.

VI. An

An mobilis synthesis hæc putanda sit, lis inter Auctores gliscit, in infantibus, qui has vel semel oculis suis usurpavit, nemo dubitat; in adultis firmus futurarum coa-litus contrarium persuadet, utut in his etiam motum se ma-nifestissimum coronalis futuræ observasse *Galenus* reliquerit 13. m. m. 22. Sed cutis capitis & sanguinis sub hac motum eidem imposuisse *Columbus*, *C. Hofmannus* & *Rolfincius* suspi-cantur; auget suspicionem, quod ipse immobilitatem agno-scat 13. de usu part. 8. Extraordinarium igitur & irregulare planè est habendum, quod in virgine nobili XXVI. anno-rum os frontis mobile, & sub risu, fletu aut forti loquela pol-licis ferè latitudine cranium dehiscere vidit *Frid. Lachmunnus* *Ephem. nat. Cur. ann. 6. & 7. Obs. 184.* coalitu naturali nondum factò. Sed quid de morbosa disjunctione dicen-dum? Ipse *Artis parens* hujus meminir de *Offic. Med. sub fin. Galenus in Comm.* subscribit, fierique subinde ob vaporum humorumque copiam, tantum non communis opinio est. Hanc *Aëtius* admittit in hydrocephalo *tetrab. 1. Serm. 2. c. 1.* ad distantiam 4. ferè digitorum conspexit *Jacob. Fontanus l. 1. pract. c. 3.* in capitis dolore gravissimo eandem cum cerebri motu manibus & oculis obviò, cum cranii sonitu & crepi-tatione, ac si lignum finderetur, observavit *Fabr. Hildanus c. 1. obs. Chir. Primâ, c. 2. obs. 7.* notatam in demortuis sub epi-demio malo in Polonia extinctis, observatam in Hybernia *Arnoldus Bootius de affect. omiss. c. 4.* descripsit. Nec desunt plura exempla. In infante hiasse in specie lambdoidem ad spatium satis amplum, *Ioh. Burgius Ephem. Nat. Cur. ann. 9. & 10. Obs. 189.* memorat. Coronalem in strenuo potatore à calidissimis vini fumis cum præservatione ab ebrietate ad pollicis latitudinem divulsam fuisse, à vaporibus item hy-pochondriacis, hystericiis, discedere *Antonius de Pozzis l. d. ann. 4. & 5. Obs. 33.* confirmavit, filoque mensurari, quous-que

que hiatus procefferit & conſtrictione reſtitui poſſe in integrum, vulgaris opinio fert. Contrarii tamen ſunt alii, qui impoſſibilem & imaginariam hanc diſjunctionem explo-
dunt, præſertim in adultis, propter arctam nimis oſſium per ſuturas combinationem, quæ, niſi ſecuriculis per corruptionem ſeparatis, quod in cadaveribus uſu venire ſolet, unde ſuâ ſponte futuræ hiant, ſolvi nequeant. *Dan. Sennertus* inter rariores caſus reponit & curatu impoſſibiles cenſet *Lib. 1. prax. part. 1. c. 21.*

VII.

Quorſum verò hœc in bivio eundum? Nos, ſi noſtrum interponere iudicium debemus, ut poſſibilem hanc dehiſcentiam, præſertim à cauſis externis, violentiori puta percuffione, contuſione, infortunato caſu & ſimilibus præter experientiam ſuâ corroborant calculo *Bartholinus in hiſt. Anat. Schneiderus de catarrh. Peyerus in exercit. Anatom.* & alii, ita ab internis etiam cauſis fieri eandem poſſe p. n. dubitare nolumus, ſive ſuturarum ipſarum conditionem, ſive cauſarum agentium vim, ſive Authorum fide digniſſimorum teſtimonia videamus. Suturarum quidem in adultis præprimis firma compages eſt, quæ nulli ferè vi aut externæ violentiæ cedit. Sed quid in ſtatu p. n. Natura coacta non tentat? Vias ante non viſas aperit, non creditas prodit, invias sæpè pervias facit. A ſolita duritie nonnunquam defleſcere Oſſa creditu multò difficilius eſt, accidiffe tamen & morbi vi emollita fuiſſe ſubinde, ut cæræ in modum fleſſi ſequiq; potuerint, quocunq; torquerentur *Fernelius l. 2. de abdit. rer. cauſ. c. 9.* aſſerit, ſimilesq; *Bartholinus* hiſtorias collegit *Ephem. Nat. Cur. ann. 71 imi obſ. 37.* Accedunt teſtimonia Dd. omni exceptione majorum ante ex parte citatorum; ex Veteribus ipſe Artis conditor *Hippocrates, Galenus, Ægineta, Aëtius*; ex neotericis *Hildanus, Bartholinus*, alii partim auriti, partim oculati teſtes rem confirmant;

nec causæ videntur impossibiles. Quamvis enim Cranium incongruè tecto fumosæ domui super imposito, quod vaporum copiâ in rimas ducatur, comparari putemus, ut mox plenius constabit, cerebrum tamen & vasa ob humorum copiam calorem & turgescientiam ità attolli posse, ut cranio subinde ipsi vim inferant, ad suturarum usque hiatum, sub laxiori maximè combinatione, nulli dubitamus. Nec enim *σύνφθοις* in omnibus æqualis, sed ut in nonnullis planè obliteratur ità laxior in aliis & sequacior deprehenditur. Notatu hocque loco digna *Theophili Bonneti* observatio est in puero maniaco, cui à vasorum distensione ità intumuit cerebrum, ut detractô craniô intra proprios limites reponi non potuerit, vestigiaque suturarum coronalis & lambdoideæ duræ matri altè impressa deprehensa fuerint, *anat. pract. l. 1. §. 8. Obs. 2.* nec non altera *Th. Bartholini* de aucticae caloris sævitie; experiri hanc Virgines Prayanas in Campania refert, quibus anno ætatis duodecimo rumpitur hymen, ut deflorentur omnes, internô æstu exiccante virginitatis claustrum *c. 5. hist. anat. 43.* Pari ex causa cranii ossa à mutuo aliquando contactu recedere, futuris apertis, sub membranarum cerebri inflammatione, febribus ardentibus, cephalalgia gravissima, quæ ferè comitatur ex *Galen*i testimonio *Comm. in L. de offic. med.* nec non *Antonii Molinetti l. c.* curatio, quæ secundum eundem *Molinetti* solâ copiosi sanguinis tempestivè factâ educatione feliciter suscipitur, confirmare videtur. Curationis quidem modus per ligaturas superstitiosi quid illis, qui alias hujus, si sequitur, v. g. vasorum exteriorum, quibus fervidus sanguis advehitur, aut nervorum constrictionem, unde stupor inducitur, causas suggerunt, redolere videtur: sepositâ tamen superstitione solutionem hanc continui & dolorem inde natum arctioribus fasciis applicitis curare posse, *Sennertus l. d. & Hæferus in Herc. med. l. 1. c. 3. de affect. cap.* credunt, ut, secundum alios, unicum in manibus præsidium est. vid. *Bonett. l. c.* Sed imus ad *Numerum Saturarum.*

Secundum Celsum certus *harum* numerus non est, sicut ne locus quidem. Rectè verò ad hæc *Pavvius*: certus non est futurarum numerus, respectu scriptorum hac de re contententium; at in natura regulariter & ordinariè agente certus est. Sepositis Autorum dissensionibus, propriarum, quibus cum jam nobis res est, futurarum cum *Galeno* quinque numeramus, omnibus hominibus utriusq; sexûs, viris æquè ac foeminis communes, ut locò, sic nomine, differentes, quarum veræ tres recentioribus dicuntur, quòd futurarum ad triplicem *Galen*i similitudinem suprà cit. figuram feliciùs referant; duæ verò mendosæ seu nothæ ad harmoniam magis quàm futurarum species accedentes. Verarum quà numerum *Galenus* rationem reddit 9. *de usu part.* 17. cùm caput, scribens, sit εἰον σφαῖρα προμήκης, rationale fuit illud ex quatuor ossibus constare inter se junctis per tres futuras. Ut fieri possit anterior eminentia, debuit illam ab aliis separare futura ea, quæ στεφανιαία, Coronalis dicitur; ut posterior, debuit illam eodem modo discernere ab illa, quæ λαβδοειδής ἢ λαμβδοειδής dicitur. Ut partes dextræ à sinistris essent divisæ, debuit interferi illa, quæ ὀβελαία sagittalis dicitur. Vide *C. Hofmannum Comm. in l. c.* Hinc numerum hunc adeò certum habet *Barth. Eustachius in exam. oss.* ut miraculum se visurum dicat, si quis cranium ostenderit, cui desit hæc vel illa futura, nisi ob senium contingat. Cæterùm cùm futuræ hæc nominibus distinctæ nec *Hipp.* nec *Arist.* nec *Plinio* cognitæ fuerint, primùm hæc Medicos quosdam *Ægyptios* imposuisse Græcam linguam malè doctos *Ruffus scribit l. 1. appell. c. 18.* vocataque una sagittalis est, recta, virgata, verruculata, ὀβελαία, ob figuram quamcunque, jugalis, jungit enim duo syncipitis ossa, & in adultis terminatur ut plurimum duabus aliis, coronali & lamdoideâ in viris æquè ac foeminis; in foetibus & recens natis ferè ad septennium usque

que ad nares in anterioribus, in posterioribus nonnunquam ad spinalis medullæ initium excurrit, ut *Vesalius Sylvius* & ante hos *Galenus* II. de usu part. 9. monuerunt. Sed hoc credere hæreticū est, secundum *Rolfinccium*, quo cum & *Fallopio* ἀποψία convicti penitus consentimus. Altera coronalis, στεφανιαία, quæ instar coronæ vel arcus caput cingit, puppis item cranii audit; os frontis & syncipitis secat & ad futuras squamosas usq; ducitur: Ultima λαμβδοειδής, sive secundum *Alex. Benedictum*, *Columbum*, *Hoffmannum*, λαβδοειδής sive ὑψιλοειδής à figura Græcæ literæ majoris Λ, vel alterius, v. min. proraitidem cranii nuncupatur, occiputq; syncipiti conjungit in angulum obtusum duobus cruribus per postica temporum latera assurgens. Reliquæ duæ mendosæ, sive nothæ appellantur, quæ futuræ quidem nomen apud propriè loquentes non merentur, sed squamas magis sibi incumbentes quàm futuras imitantur; juvare ossium temporum cum syncipite conjunctionem, oculorum sensu prælucente, facilè notamus.

IX.

Ira se quidem habent ordinariæ cranii humani futuræ: sed ludit in his subinde Natura suturarumque numerum nunc auget, nunc diminuit, cujus variationis in individuis, præsertim ratione futuræ sagittalis, exemplum non unum sistit *Bartholinus* in C. I. hist anat. c. 51 c. 2. epist. med. 56. *Rhodius* in mantiss. Anat. Obs. 1. P. *Borellus* c. 2. Obs. med. phys. 63. *Kerckringius* Spic. Anat. Obs. 63. differitque de his etiam *Riolanus* enchir. Anat. pathol. l. 6. c. 6. Coronalis etiam oblitterata, non facilè verò temporales abolitæ visæ fuere, nisi omnes reliquæ prius perierint, *Bartholino* authore l. 4. Anat. Reform. c. 5. quod tamen hætenus in statu naturali observatum non fuisse *Molinetti* scribit; accidisse tamen aliquando, sed in capitibus formâ minùs naturali efformatis compertum affirmat.

Quò pertinent futuræ capitis omnes, unô quasi clivô exaltatæ & sublimiore toro prominentes, item coronalis in epilepticis pueris muri instar extensi officula futuræ lambdoideæ ità tumentia, ut digitis singula discerni potuerint apud eundem *Bartholinum* c. 2. *hist. Anat.* 30. cujus conjecturæ l. c. videri possunt.

X.

Supereſt *Uſus*, quem Autores multiplicem, ducem, ut videntur, *Galenum* ubique ſecuti, unanimi ferè conſenſu, ſubſcribunt: præterquam enim quod harum beneficiô offa cranii, quæ multa eſſe oportebat, conjungantur ex 9. *de uſ. part.* 17. 1. liberam vaporum transpirationem è cerebro hîc fieri volunt. Cerebrum, ex veteri perſuaſione, duplici excremento, aquoſo unô & limoſo, altero vaporoso & fumido, partim intra ſe genito, partim ex toto corpore, ceu in teſtum fumoſæ domui ſuperimpoſitum, ad cranium aſcendente, abundat, quibus evacuandis elabendi rimas monſtrat, craſſis quidem per os cribroſum, nares, glandulam pituitariam, tenuibus & vaporosis per futuras. 9. *de uſ. part.* 1. Hinc ſaniores longè judicantur, quibus plures futuræ contigère, contrà capitis potiſſimum doloribus expoſiti, quibus pauciores; imò absque transpiratione hac neminem vitam ſibi longævam polliceri poſſe, *Columbus* verbis & exemplis demonſtrare conatur. Ad oculare inſuper experimentum alii provocant, quod manifeſtum ſubinde vaporem ex cute capitis, ut è toto corpore, ſi hoc incaluit ſub ſtragulis, evolantem ſiſtit. 2. Venas hîc & arterias efferri, quæ cranio & pericranio ſanguinem ſubminiſtrant & fibras, conjecturant. 9. *uſ. part.* 17. 3. cerebrum, tenerum viſcus, per futuras crania adnexas prudentiſſimô natura conſiliô ſuſpendi credunt; veſtire enim non modò cerebrum, ſed attollere etiam meninges debent, ut dilatationis liberum ſpatium ſit,

ſua-

suaque ventriculis cavitas relinquatur 8. *us. part. 9.* adde *Fallopium*. qui singulari hoc naturæ artificium exemplò declarat. 4. *διὰ τὴν ἀσφάλειαν & securitatem* ex 9. *de us. part. 17.* urgent, ne læsô aut fîsô offe unô, lædatur & alterum, quibus tandem idem *Galenus* 13. *m. m. 22.* superaddit 5. ut *medicamenta applicita penetrare* possint.

XI.

Sed omnium dissentientium pace dubium nobis non unum relinquitur, unde adductos hætenus usus naturæ vel non cognitos vel tamen minus principales putamus. Ob vaporum transpirationem factas esse futuras nemo sibi persuaderi patietur, qui naturalem harum structuram & positum exactè perpendit. Datô enim colligi tales in cerebro vapores, horumque hîc evacuatione opus esse, quod tamen strenuè, nec sine ratione, cum pluribus *Helmontius*, *Schneiderus*, *Rolfinccius* inficiantur, futuræ tamen huic muneris ineptissimæ videntur, quod propter membranas cerebri, duram præsertim, interpositas (ut de pericranio, cute capitis crassissima aliisq; impedimentis nihil dicamus,) eosdem nec admittere, nec admissos ob solidam compaginationem, cum totæ intus præsertim dispareant, emittere possunt. Unde qui à futurarum & consequenter vapida hujus evacuationis defectu cephalalgia causam petunt, fallaciam non causæ ut causæ committere videntur, contraque experientiam loquuntur, quæ senes, cæteris paribus, minus plerunq; capitis doloribus infestari, frequentius juvenes & viros, testatur; illis tamen quasi solenne est, futuris carere. Nec vapores à capite evolantes necessariò futuris debentur, ut nec sudor hinc emanans; vasa enim per cutim copiosè sparsa utrique sufficiunt. Arctæ etiam nimis sunt futuræ hæ nec deprehensæ venis & arteriis patulæ, nec necessariae, externi enim rami arteriarum carotidum & venarum jugularium præstò sunt. Suspendere meninges & cum his cere-

brum, inane assertum est; cranium firmissimè adhærere, futuris etiam deficientibus, fides Anatomicorum probat. An futuris adeò consultum sit contra injurias quascunq; sive cranium sive cerebro, dubio non caret; *Galenus 6. m. m.* os syncipitis & temporum unâ plagâ fissâ vidit, futurâ squamiformi non obstante, simile *Spigelius* notavit. An denique per cranium immediatè ad cerebrum ire necesse habeant medicamenta commodioremque viam per futuras, quàm poros & foramina alia, inveniant, sub judice lis est. Quod si tamen aliis visceribus corrigendis sanguini infusa medicamenti vis sufficit, cur non etiam cerebri interioribus alteratô circa capitis externa sanguine bene ominemur?

XII.

Missis E. his ceu verisimiliter non necessariis vel tamen nonnullis minus principalibus suturarum usibus, potissimû & principalem existimamus, *partûs facilitatem juvare*. In naturali partu caput præcedere in confesso est; hujus n. moles cum ad alias comparata partes ordinariè excedat, natura ex pluribus cranium ossibus inter se futuris divisis composuit, ut flexilia non modò sint & sequacia, sed & in & supra se contrahi & complicari possint, capiteque ita in angustum compresso, foetus uteri angustias feliciter perrumpat. In embryo ideò & recens natis quàm maximè divisas has, etiam ad narium usque confinia, ad facilitandam magis capitis compressionem, conspiciamus, quæ post cessante fine successivè coalescunt & oblitterantur, in cranii robur & tutelam cerebri: formas etiam inter illas compressiones varias capita non rarò induunt, quas post partum vel ipsa natura corrigit modò tardius, modò citius, vel obstetricis manu aut fasciis opus habet. Pluribus corroboratam sententiam hanc vide apud *Coiterum de ossib. infant. Eyssonium tr.*

de iisd. & Molinetti in anatom. pathol.

